

DISSE

INAUGURALIS MEDICA

METHOMANIA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS

ET DIRECTORIS,

SPECTABILIS AC PERILLUSTRIS DOMINI DECANI,

EX C O M

CLARISSIMORUM DD. PROFESSORUM

P R O

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

RITE CONSEQUENDA

IN ALMA AC CELEBERRIMA

REGIA SCIENT. UNIVERSITATE HUNGARICA

PUBLICAE DISQUISITIONI

S U M M I T E S

J O S E P H U S M A X ,

Galicianus Ressoviensis

Artis obstetricinae Magister.



In Theses adnexas disputabitur in Universitatis Palatio majori
die Junii 1835.

P E S T I N I ,

Typis JOS. BEIMEL, C. R. Priv. Strigoniensis Typographiae , ac
unius e Pestanis Proprietarii.

OPTEMAS PARENTIBUS



C O N S E C R A T

Filiis Pietas.

Nicht den Wein, den Missbrauch tadeln wir.



Armstrong.

P r o o e m i u m .



Homo, flore facultatum exornatus, qui inter reliqua animantia fere in modum spiritus sublimationis scilicet ac destillationis ope nactus est, proh dolor! ex ipsissimo spiritu non raro fertilem sibimet malorum omnis generis condit Lernam: quippe Methomaniam! — Turpe sane vitium — quod voluntatem homini ac libertatem adimit, dignitas humana omnis deperditur, exuit fere homo hominem, — obbrutescit plane! — Quanta vero exinde propullulant mala — quantae insidiae pro ipsa vita! — Graviter enim affligitur et vegetativa et animalis vita; disturbatur somatica oeconomia aequa, ac altior vita maxumopere patitur; confici-

tur hac ratione corpus serius oxyusve, ruit
in propriam perniciem helluo, fitque interi-
tus sui ipse faber! — Tristi tali exemplo,
in dilecta patria quondam obvio monitus, in
obsequium facultatis medicae legum disser-
tationem modo editurus, hocce amplexus sum
Thema — non qua novum, novitusve exaran-
dum, ad tales enim adspirare palmam vetant
tenellae tironis vires; ast ipsa dignitas mihi
adrisit objecti, animumque destinavit meum.

Expertissimus hac in re Brühl-Cramer dux mihi erat, quem in expositione solerter sum secutus; quae hinc inde sparsa apud alios auctores inveni, sedule corrasi, ac in systematicum redigi ordinem. Successus tamen primitiū hujus conaminis, sola tua L. B. coronabitur indulgentia — quare ne nisi immaturum fructum ab immatura exigas vi ardenter cupio.

manu, (1930-31) have made some modifications
which, though slight at present, no doubt will be
more substantial as additional information
becomes available. The following is a summary
of the changes up to the present time. The earlier
changes are described in the notes to the original
paper.

and the people who have been here before us. We are
and the people who have been here before us. We are

Morbis definitio.

Methomania a *μεθη-* *νια* vinolentia, ebrietas — et *μανια* insanire, bacchari Grm. Trunksfudt, Trunkfälligkeit secundum Hufeland Dipsomania — est nisus specificus in avidissima, invita aequē ac invincibili consistens adpetentia potus capiendi spirituosos.

Notio morbi et divisio.

Momentosissimo huic malo per longum tempus vel introitus in vastum morborum campum denegatus fuit; praeplacuit enim vulgaris opinio: methomaniam esse deflexum moralem, causis physicis omnibus superiorem — ideoque in emendanda nonnisi prava moralitate spem vitii tollendi fundatam esse rati sunt. — Recentissima vero conamina philosophico-medica mox et hujus rei caliginem pro parte dissiparunt, et abhinc systematologi debitum et huicce malo in morborum elenco assignarunt locum.

Ast nova iterum quoad morbi naturam discrepantia enata est inter medicos: secundum alios enim desiderium spirituosorum ad morbos animae

relegandum foret (Hufeland, Trotter); dum alii instinctum illum, qua malum habent, independens a voluntate — nullatenus ex vitiata moralitate uti vulgo credunt, sed consuetis causis physicas oriundum. Ideo priores morbum qua psychopathiam — hi vero, et inter illos versatissimus Brühl-Cramer mere somaticum declarare sunt adnixi.

In tali sententiarum lite medium quoddam tenendum esse ratio suadet; ac primo quidem momentum causale, quod morbum excitat, ejusque effectus considerandi veniunt: quivis stimulus exaltans pro tempore vires, easdem deinceps exhaustus — idem de vini stimulo dictum esto; erigens vis, quam primis vini haustibus expertus est homo, molestam quandam debilitatis sensationem prodit, quae, ut auferatur, ipsum vel invitum ad reiterandos impellit haustus. Quo major vero fuerit assumta dosis, eo major superirritatio, eo magis sphaera sensifera debilitata novitus extimulari cupit, quod iterum maiores expostulat doses. Et quo saepius id obtingit, eo notabilior evadit insecutura debilitas — eo frequentius hinc urget lassitudinem fugandi necessitas — consequenter continuari usus, foveri instinctus morbosus, et vim consuetudinis induere necessario debebit. — Innititur hac ratione indomabilis adpetentia stimuli consuetudini, quae sensim adeo invalescit, ut debitum vinculis coerceri amplius nequeat, et tandem in veram passionem degeneret, quae ceu talis statum humanum morbosum sistit, qui vitam corpoream adfligit, et hominem, cuius animum occupat, ratione ac voluntate privat. — Est igitur methomania passio, consuetudine progenita — quae consuetudo ipsa est morbus, corpori non minus ac animo debitus, quamvis causa principalis sit mere somatica, et morbus quoad decursum, eumdem ac alii morbi corporei observet typum. — Perperam

igitur cupidinis nefastae originem aliquis ex defectu morali explicare admittetur; nam sicuti sitis normalis ceu instinctus salutifer hominem invito animo ad potulenta haurienda impellit, quin talis instinctus legibus moralitatis obsit — eadem ratione et adpetentia illa perversa, nullatenus qua vitium morale haberi potest (Hoffbauer).

Celeb. Hufeland, aliique vitium hocce animi alienationibus adsociant: dicendo „maniam“ — reapse enim qua talis adparet — adeat enim ubique vera animi perturbatio, transitoria nonnisi, item voluntas adfecta est, perstante libertatis tamen possibilitate (Heinroth). Ideo tamen haec mania non est morbus ipse — potius morbi forma et effectus, peculiari coenaesthesiaeos renisu productus; quatenus autem sensus communis sphaerae somaticae debeatur, eatenus effluvia mörbosa ejus somaticum fontem agnoscere debent. — Methomania igitur, uti quaevis alia mania, in ipso corpore aegrotante latet; estque haec corporeus morbus quoad essentiam — psychicus quoad formam. — Si quis fors morbo debitum locum in systemate nosologico vellet mancipare, ille maxime idoneum in Parathymiis ormeticis inveniet, in specie Panormesibus seu cupidinibus perversis (Den Eudten) morbum accensendo. —

Sicco pede transeundo morbi varias distinctiones, partim ex originis, partim ex evolutionis modo depromptas — palmarium nobis ratio typi, et illa, quae inter nervorum affectionem et humorum resolutionem obtinet — divisionis praebet fulcrum. Ex typico respectu in genere methomania: in continuam, remittentem, periodicam, et mixtam dispeccitur. Per alteram gradus morbi determinatur, qui pro diversitate individui aegrotantis trifariam supponit rationem: vel enim utriusque eadem convenit ratio — in hoc casu turbae cerebri gradum attingunt altissimum, estque talis methomania maxime

pervicax — vel affectio systematis nervosi, prae-valet p̄ae humorum resolutione — vel haec priori magis evoluta. Adhuc quartus datur casus, quamvis rarer, a prioribus peculiari torpore systematis sensiferi distinctus, cui virium muscularium hebetudo, ac singularis inertia omnium tam voluntariorum, quam involuntariorum muscularum sese associant. — Quodsi durationis modum respicimus, morbus aut characteris acutorum solet particeps reddi, aut morbis chronicis magis aemulari. —

Diagnosticā.

M. continua est diurnum ac perseverans desiderium semet obruendi spirituosis. Praevia nocte inquieta, insomniisque agitata sensus molesti ac integrati, quasi a tenaci muco in faucibus haerente, aut fluido quodam acido excitati, aegrum e lecto surgere sinunt; morosus ac iracundus cernitur, tremunt extremitates, magna salivae copia in ore accumulatur (ptyalismus crapulosus); sequuntur nausea, vomititiones, imo vomitus (vomitus matutinus); oboriuntur leves horripilationes, nuncve ardens evigilat cupido in spirituosa. Salutat itaque Bacchi sacerdos haustu vini Auroram, cujus portione assumta, ad speciem reficitur; silet nausea, nec vacillant membra, et physiognomiam bibonis pridem tristem, modo magis serenam et contentam videbis. — Post breve tempus effectibus primi haustus vix evanidis, redeunt symptomata adducta; denuo repetitur haustus, et sic paucis intercapelinibus relictis, ad solem usque labentem continuatur. Imo existant exempla potatorum, qui, ne et noctis tempore potulento dilecto egeant, oenophorum repletum abstrudunt in lectum. — Miserandus hicce status per menses, imo per annos durat, donec vel sub faventibus circumstantiis, cooperante energia vitali, cupido inebriandi anni-

hiletur, et a malo detentus liberetur, vel posthumum aliquod consectarium grave lugubrem claudit scenam.

M. remittenti dediti homines variis diei temporibus Baccho favent, diversamque libant quantitatem. Lubenter horis matutinis potant; rarissime tam largam assumunt portionem, ut inde inebriantur; quo magis autem vesperascit dies, eo avidiores vini, tandem crapula graves cernes, ita, ut hisce diei horis officiis suis minime adesse valeant.

M. intermittens insultus agnoscit paroxysticos, certis ac determinatis temporibus redeuntes. Sub macrocosmi, imprimis Lunae, phasibus impetus maniacorum plerumque oriuntur et exacerbantur — idem in mania bibonum observatum fuit, quam iterum iterumque nascens provocavit Luna.

M. periodica aequa paroxysmis obedit, qui tamen longioribus intervallis distinguuntur. Impetuum duratio, hujus uti prioris speciei, distinctae regulae adstricta est, et non nisi definitis diebus, ad parentibus criseos merae phaenomenis sponte judicantur, quippe: die tertia, quinta, septima, nona, undecima, decima tertia, vel vigesima prima; nunquam dies critica paroxysmum absolvit. Non desunt tamen casus criseos serotinae, ubi in diem criticam subsequentem incidit solutio; alias, retardatae, ubi vis medicatrix eam in mox antecedentem cadere sinit diem.

M. mixtam proteiformem adpellabis; — nullus enim ordo, quoad decursum, nulla similitudo cum priorum specierum una — participat hinc inde tamen diversis temporibus proprietatem unius alteriusve. Hancce imaginem in illis cernere licet individuis, in quibus morbus nondum evolutus, necdum distinctum induerat characterem. — Ex consideratione specierum methomaniae bifaria sequitur hujusc morbi varietas, quarum altera continua, altera periodica

statui potest. Methionia chronica ad amussim exposita, solum ad temporaneam, quae intermittentis simul ac periodicae in unum conjungit phaenomena, nostram convertamus nunc attentionem.

Nosographia.

Stadium prodromorum.

In homine, per aliquot tempus speciem illaesae sanitatis offerente, qui vel penitus ab usu spirituorum abstinuit, vel iis saltem non abutebatur — adparent oculi micantes, rubentes, ignei ferme coloris, vasa majora conjunctivae bulbi turgida; accedunt spasmi clonici muscularum bulbi, unde nystagmus involuntarius; palpebrae modo hiant ultra modum, modo connivent; unde nititatio irregularis, adspectus languidus, oculus trux (Apoplexia temulenta) erga lucem sensilior, pupilla contracta cernitur; non raro diplopia, marmarygac, aliaeque visus hallucinationes adsunt. — Obnubilantur sensus, madet mens, nec deest aurium syrinx, continuus nutus, cephalaea gravativa, capitisque plenitudo ab uberiori sanguinis adfluxu. — Facies inflatur, lurida, barda stultaque cernitur, volumine augetur ac rubor ejus intenditur; rubor vero non est ille sanorum, sed magis in livido-purpureum vergit, similem illi in febribus putridis, aliisve morbis, resolutione sanguinis stipatis. Hicce rubor praeprimis nasum occupat; notatu dignus est rubor insolitus ad digitorum articulos, praeprimis illas articulationes obsidens, quae metacarpos ac primos digitorum phalanges intercedunt. Integra cutis quasi a pulvere conspersa videtur, estque calor ejus adauctus. — Halitus oris foetidus, saepe ingurgitatum potulentum jam a procul nares ferit; lingua tremula, aegre non nisi movetur; vox faucibus haeret; uti in apoplecticis;

olfactus : vitiatus ; aeger parum vel nil appetit ; alias polyphagia praecedit ; sitis aducta. — Sensibus : morbos internis continuo agitatur, unde somnus ex integro fugatur, vel panophobicus redditur. Motus spontaneus impeditur, titubant hinc gressus, nec in stando manifesta stabilitas. — Etiam in tractu intestinali turbae variae manifestantur, modo per cardialgiam, hepatisve dolores fixos; modo per borborygmos, flatulentiam ac constipations varias sese enunciantes. — Ex infracta sphincterum vi insequitur interdum spontanea urinae ac alvi exoneratio. — Adparent tandem non raro petechiae in diversis corporis plagis, naevi etiam diversae magnitudinis ; his adsociantur epistaxis, haemorrhagiae ex ore, gingiva ac yasis haemorrhoidalibus, quibus praesentibus conscientia in altiori gradu perturbatur ; accedit pulsuum plenitudo ac frequentia, febris valida cum deliriis multifariis, quae nonnisi temerarias actiones exspectare sinunt. — Ulterius progrediente hocce stadio in ipsa sphaera psychica diversas quoque mutationes qualitativas offendimus : pusillanimitatem, anxietatem, inquietudinem, et magnam proclivitatem in iram ac vindictae cupidinem ; pro diversitate temperamenti bibo modo benignus appareat, placatus ac gratus ; alias iracundia mox exardescit, facillime offendit se putat ab adstantibus, et minima ansa data jam sufficit ad lites contentionesque excitandas ; praeterea unus serenus, exhilaratus, ridet, cantat, garrulus ; — alter vero e contra tristis, morosus, querulus, ingemescent, imo flens conspicitur. — Nunc instinctus ille vehementior evadit, mox adeo intenditur, ut nisi cupidini nefastae satisfiat, nonnulli ad furiosa ac gravissima saepe abripiantur facinora.

Duratio hujusce stadii varia esse solet pro diversitate individualitis, prout ipsorum prodromorum vehementia admodum variare solet ; in non-

nullis enim helluonibus a paucis horis ad aliquot protrahitur dies, dum in aliis adeo breviter durat, ut vix ab ipsis distinguatur; quin imo nonnunquam absque notabilibus prodromis ac derépente morbus invadit.

Morbis initium.

Hisce nunc phaenominis praegressis, ac ad certum evectis punctum, indomabilis spirituosorum adeptentia sensim sensimque evolvitur, vel ex improviso altior ejusdem gradus subintrat. Ab initio quidem homo, rationis adhucdum compos, usum spirituosorum illius dominio scit subjicere — quod tamen usu eorum quidquam protracto minime amplius locum habet. — Tum enim absque induciis sese obruit bibo; sub quibusdam circumstantiis furtim semet ingurgitat potuleto, et quodsi nunc usus quadam ratione denegatur, avide illud cupit, mox cum audacia quadam iterum iterumque spiritum exposcit, quo non concesso, non raro vehementissime convellitur (violentia convulsiva Percy.), vel insanit ac furiis quasi circumagitur aeger. — Cum extremo nunc desiderio unum alterumve potulentum avet, instinctu ductus modo ad vinum, modo ad spiritus frumenti, modo ad cerevisiam, et exclusive uni vel alteri adhaeret potuleto. Tali pacto, postquam certam spiritus quantitatem hauriebat, transitorie levatur aeger, phaenomenorum morbosorum plura exemplò disparent, vel saltem valdopere imminuuntur. Redeunt paulatim sensum facultates; vultus quidquam exhilaratur; mens fit serena, facile nunc more solito attentionem vertere valet in res externas, ac debitum de qualicunque re ferre judicium; de statu vero morboso sui nonnisi manca solet largiri responsa, probabiliter ideo, quod ante introitum paroxysmi sui inscius fuerit. — Hocce lucidum intervallum non diu durat; redeunt enim mox

phaenomena morbos, quibus praesentibus citius nunc, ac pridem, excessiva cupido excitatur.

Ita illi item **Incrementum morbi** ac super-

Quo magis morbus protrahitur, eo frequenter movetur instinctus in spirituosa, eoque minus conspicuum redditur lucidum intervallum. Durante hocce stadio non portiones largae, una vice hauiendae, sed praeriplacent potius, minores doses, per vices assumendae, saepiusque repetendae.

Ita constitutum desiderium ad tantam vehementiam ascendit, ut si illico ei non satisfit, inanes cruciatus experiantur miserit; nec desunt exempla, quod homines, quibus sub hocce stadio potulentum avido ore adpetitum vi ac studio denegabatur, maniacorum ad instar sese gerebant, ac furiosi sibimet ipsis et adstantibus violentas intulerint manus.

Stadium, criseos, suico ian-

Postquam morbus certum temporis spatium absolverat, tandem una alterave die critica, quarum supra mentionem fecimus, solet judicari. Praevie aegrotus modo insolito anxius ac inquietus est; functiones ejus mentales ad normalem trahite in redire incipiunt. Inquietudo haec omni momento crescit, intendunturque aegri cruciatus adeo, ut ejulatus non raro moveat. Tandem ingens excitatur vomitus, quo non semper bilis corrupta, sed initio mucus aquosus, insipidus, interdum cum residuis ciborum intermixtus ejicitur, qui mox majorem acredinem induit, acescit, tandem amarescit, valdeque nauseosus redditur (vomitus crapulosus). Nonnunquam unica tantum evacuatio, eaque sat larga ac vehemens ad paroxysmum debellandum sufficit — alias requiritur vomitus plures repetitus, quem non raro diarrhoea,

vel et somnus excipit, talique pacto finem imponit insultui. —

Absoluta crisi sequitur morbi decrementum — cuius tamen proprium stadium non assumi licet, quum paroxysmus non per vices, aut, ut dicunt, per lyses, sed cito, ac in genere unica tantum judicatur crisi. — Sub hac igitur periodo subitanee non raro levidense adhuc in spiritum excitatur desiderium, cuius exigua dosi sorbillata silet omnis vomitus, et ab hoc momento desistunt ab omni vino, imo aversantur valdopere spirituosa, ita, ut non raro imaginatione, vel intuitu solo dilecti pridem potulenti valide concutiantur atque contremiscant. — Ratione modo descripta ut plurimum finitur paroxysmus; quodsi vero ulteriori passu eo devenerit morbus, ut insufficiente parva dosi jam ingentes requirantur quantitates ad cupidinem illam quadantenus sedandam — quae cetales deleterios effectus organisme imprimere, ejusque integritatem tollere debent — tum infausto non nisi omne solet notari exitus.

Stadium convalescentiae.

Notatur hoc posthumo aliquo affectu, qui ex superirritatione totius organismi emanare videtur. — Bibo tunc agrypnia, vanis simulacris, ac terribilimentis immanibus continuo excruciatur, aque sensationibus ingratissimis ac dolorificis torquetur — ita, ut summe fatale hocce consectarium denominandum non haesitabis. Non raro delirio miti aut feroci detentum pro maniaco habuisse *). Durat hicce status sibimet relictus per

*) Bibo peripneumonia simul laborans subintrante convalescentia debilis admodum post aliquot dies toto corpore tremit; tremor in gesticulationes, hae in furorem successive mutatae sunt, ita, ut non nisi potionē vini haud copiosa omnia sedanda fuerint.

unum alterumve, imo per plures dies; debitiss vero
adminiculis therapeuticis stadium abbreviari, ejus-
que symptomata molesta multum leniri queunt. —

Absoluto tali morbi decursu functiones syste-
matum organicorum omnium ad normalem trami-
tem redire videntur: homo speciem sanitatis of-
fert, et spirituosa vel penitus repudiat, vel sal-
tem, postquam memorata illa, durante crisi aver-
satio ablata fuit — solum tantum babit, quantum
homines secus sani, eoque non detenti morbo,
assumere solent. Intermissio tam diu durat, do-
nec typus, cui morbus ex lege quadam patholo-
gica obedit, novum insultum in propatulum pro-
dit. Hocce vero intervallo exactius considerato ac-
grotum demissum minusque vivacem offendemus,
abnormem systematis nervosi mobilitatem obser-
vabimus, pro re nata magnam proclivitatem in iram,
morositatem ac anxiam formidinem; adsunt praet-
erea delassationes universales, repentine exortae,
iterumque sponte post aliquot horas dispartentes,
hallucinationes multifariae visus, imminutae sen-
sibiliati nervi optici respondentes; artuum tremor;
iteratae horripilationes cum magna proclivitate in
sudores, vel e contra spastice contrahitur cutis
fitque impervia. — Facies aut pallida conspicitur,
plus minus ad squalidum accedens, aut in obscurorubrum
vergens colorem, in quo casu vasa minima
sanguine turgescunt. — Permanens ac principale
phaenomenon in potatoribus videtur esse sanguinis
resolutio, quae gradatim cum incremento morbi
ipsius adaugetur. —

A e t i o l o g i a.

In causas morbi specifici inquirentes, eas tri-
farie dispescimus: in disponentes, occasionales
et proximam.

Iam vero inter momenta disponentia primum
locum, ipsum vitium haereditarium occupat: par-

entes, qui vini vitio detenti erant, similes in lucem edunt proles potatores — id jam Aristoteles, Gellius, Plutarchus aliique complures contulerunt, et medicorum experientia quotidiana confirmatur. — Infantes enim parentum non solum habitum externum et lineamenta referunt, verum et determinatam animi constitutionem — qua sit, ut caeteris paribus, quamprimum educatione bona defuit, causaeque excitantes non arcentur in similes morbos incident, queis detenti fuere parentes. Certe prava educatione, morbus vel primae infantiae jam a parentibus, jam ab improba nutrice, quasi inoculatur; invaluit nempe praeprimis nostris temporibus mos spernendus teneris infantibus in locum saluberrimae penus, lactis materni substituere non raro alimenta aromate condita, spirituosa diversi generis etc., quae actione sua irritante effectivo modo dispositionem in morbum futurum gignere debent.

Primam ac saepissimam morbi causam occasionalem sistit ipse usus spirituosorum: consortio combibonum, compotationes saepius celebratae; item potus theati, imprimis multo aromate scatentis absus*), medicamina spirituosa intempestive adhibita, quae in turbis hypochondriacis ac hystericis adeo accepta referuntur. Denique animi pathemata excitantia: uti indignatio, vehemens ira, terror repentinus, invidia — praeprimis vero deprimentia: moeror, tristitia, miseria, angustiae domesticae etc. data praedispositione hominem in strenuum convertunt Bacchi cultorem — quo in casu invito ferme animo trahitur ad vinum, aerumnas hocce medio quasi diluere molitus. — Docet praeterea experientia, quod homines, ut plurimum plebis, si adversis avibus ex improviso suis orbantur opibus, vel si fatum

*) Inde frequentia morbi in Anglia, Hollandia et America septentrionali explicatur.

inexorable cognatos carosve e medio rapit amic
dein injuriis gravibus perpessis, aequo perfusa
amatorum etc. in turpi illo vito salutem quaerere non abhorruerunt. — Spectant huc quoque
defatigations nimiae post inconsuetas corporis intentiones; calor aestivus, quidam morbi asthenici.
— Quid loquar de fame et siti nimis urgentibus? —
observatum fuit, quod cibo ac potu justo diutius
deficiente nefasta in spiritum evigilavit cupidio.
Ratio autem famen inter ac desiderium in spirituosa semper inversa esse solet — crescente enim
hoc, illa decrescit. — Non desunt exempla quoque,
quod potu nimis frigido, paeprimis post balneum
calidum, ideoque corpore aestuante assumto, morbus in lucem prodiverit. — Item irritationes vi-
scerum abdominalium ad hunc provocandum suam
solent contribuere symbolam. — Huc referri adhuc
meretur vita deses, inertia, quatenus pathematum
deprimentium adinstar non minus in animum ac in
corpus ipsum suos nocivos effectus exserere solent. —

Hisce causis occasionalibus consideratis ac bene
perpensis facile liquet, non semper, data jam pae-
dispositione requiri veras ac saepius repetitas ine-
briationes, quibus instinctus hicce in verum trans-
eat morbum — sed sufficiunt res alienae ac cir-
cumstantiae quaedam, quae quatenus statum normalem
organismi infringunt, id praestare valent —
imo certum habere possumus, quod eo citius et
certius morbus, positis illis causis, evolvatur,
quo notabilior in ipsum fuerit paedisposingitio. —
Non tamen in quolibet individuo spirituosis utente
eadem ratione evolvitur dispositio in methomaniam: in genere, quo validor sit homo, quo laetior
ejus sanitas, eo tardius in hunc disponitur
morbus; quum e contra eo facilius evolvitur, quo
irritabilius fuerit individuum, vel quo plures
anomaliae in functionibus systematum organicorum
jamjam paecesserant. — Aetas, sexus, conditio,

temperamentum, morbi nonnulli praesentes suam quoque ad morbum evolvendum conferunt symbolam: quoad aetatem, juvenes facilius evadunt hel luones, quam viri; multo facilius adhuc homines provectionis aetatis — et experientia docet, quod homines, qui a prima juventute per integrum vitam potibus spirituosis, iisque nimis indulserant, tandem seniori aetate in veram incident methomaniam. Sexus sequior magis est proclivus, quam virilis. — Spectata conditione: opifices, milites, nautae, remiges, venatores, mercenarii, rustici; item viri effeminati, homines scelere fracti, desperabundi etc. sunt maximo numero bibones. — Denique sub determinatis morborum formis, praeципue qui cum nisu in resolutionem incedunt, morbus absque negotio provocatur. — In quantum clima, cultura, civilisatio ac moralis character huc referendus esset — ex eo patet, quod haec circumstantiae uberrimum praebent fontem, unde dictum malum super integrum populum saepe dissipatur; notum enim est de rudibus Americae in eolis, quibus scilicet cultura exigua est, quod hi saepe cupidine spirituorum ferme furiant — item plebs in quibusdam Rossiae regionibus vicio adeo inhaeret, ut non nisi in gratiam sensationis, quam sub crupula experiri contendit, vino madidum se redere prae diligit. (Encyclopaedie der med. Wissenschaften.)

Causa proxima.

Quod si secundum recentissimorum physiologorum mentem instinctus normalis, qui hominem ad potulenta necessaria capienda invitat ac compellit, peculiaribus ac ingratissimis coenaesthesiae mutationibus sit innexus — fors et methomaniae essentia, qualiscunque ceterum fuerit hypothesisum farrago, huic rei explicandae prolata, in morbo quodam statu sensus communis esset quaerenda? —

Sicut enim ibi sensus communis in statu integro individuali corporis saluti invigilans animum ad tales actiones provocat, quae conservationi corporis respondeant — eadem ratione coenaesthesia peculiariter a norma deflectens, data dispositione, proprium ac abnormem excitare potest instinctum, spirituorum adpetentia stipatum. — Enim vero, quaevis facta stimuli alieni impressio sensui universalis proprie communicatur; medio nervorum facilime conduceitur ad cerebrum, morbosam ibidem ponit mutationem, qua recipiendi facultas, ipsaque vis agendi plus minus perturbatur. Viget vero incitationis lex — secundum quam, quo frequentius stimulus lassiverit, eo altior evadit pro illo receptivitas, eoque facilius saepel recurrendo periodicum induit typum. — Certe protractus spirituorum usus, qua stimulus validus aequa agens, similem effectum exserere omnino debet — et revera tantopere receptivitatem adactam offerunt bibles, ut tractu temporis exigua nonnisi perferant portiones, et saepem a minima dosi jam crapulosi reddantur.

Specialis nunc morbi sedis indagatio, nec non consideratio justa prodromorum, prolatam de essentia rei usdem opinionem facilis negotio, confirmabit: complures recentiorum eo conveniunt, in sphaera gangliorum, praecipue in plexu coeliaco centrum haerere morbi, et affectioni nervi vagi permulta ejus deberi phænomena*). Perscrutantes vero rite stadii prodromorum symptomata, febrim cum deliriis, sanguinis insimum in resolutionem, morbosam vitae sensiferae ac irritabilis activitatem, ipsiusque vitae altioris turbas offendemus. — Quae cum ita sint, nonne haec morbosum vis nervae, praeprimis systematis ganglios, erethismum, et peculiarem simul cerebri renisum sensi-

* Hufeland. Journal der pract. Heilkunde. October 1828.

bilitate nimia exortum ad amussim indicant? — Omnes vero nervi per universum corpus distributi coenaesthesiae instrumenta sistunt — ideo coenaesthesia phaenomena morbosa praebet, qua morbi ipsius scaturiginem. — Sane molesta debilitatis sensatio, cujus mentionem fecimus, quaeque cupidinem morbosam ponit sustentatque, impellit coenaesthesiae, ut qua custos sanitatis omni, qua pollet, vi renitur obstaculo, sanitati adeo inimico ut auferat — quod ipse potius adlicit atque axcit. — Hac de causa non, ut creduut, molesta sensatio ventriculi, non bacchica voluptas, non odor aut sapor gratus spirituosorum perversam hanc cupidinem ponit — sed renis coenaesthesiae unicus est et principalis fons, unde scaturit excessiva appetentia, quae qua talis accendentibus aliis causis adeo intenditur, ut hominem maniacum reddat. Quamobrem nonnisi in statu irritativo cerebri, in que aberrante coenaesthesia naturam morbi et causam proximam reponendam esse autumo. —

His perpensis facile quoque periodicitas hujus morbi explicatur — prout enim in quavis hypersthenia spuria consuetae, secus indifferentes revolutiones periodicae et metamorphoses dynamicae mundi externi, quin causae novae acoedant, abnormes reactiones in organismo producere solent — ita quoque in hocce morbo periodicas invasiones observare licet, quae scilicet in nimie exaltata sensibilitate fundatae esse videntur *); — ipsa vero ratio illius influxus, prout propriae hujus coenaesthesiae aberrationis, uti plurium similium aenigmatum in profundo adhucdum latet Democriti puteo. — Si quis fors illud quod ceu causa agnoscitur, pro effectu potius morbi habere vellet — ille ad id solum attendat, quod modo protulimus: quippe ad morbi

*^o) Med. Jahrbücher des Kaiserl. Königl. Österreich. Staates II. Bd. neueste Folge.

prodromos, qui mali vix ingruentis neendum ullum admittunt effectum. — Potius circulum in dictis animadvertisimus, quam enim statuimus morbi causam proximam; ea ex usu spirituorum emanare videtur — et modo reciproco ipsissima haec causa ad continuandum usum invitat, et jugiter instinetum morbosum alit. —

Posthum a et mortis ratio.

Est ingens sane caterva tristium sequelarum, quae dictum solent excipere morbum: ac primitus effectus in systemate nervorum conspicuus reddi debet, non quidem per organisationem et materiam organicam alienatas, sed per functiones abnormes, isque in systematis parte vitae altiori inserviente citius, quam in ea, quae soli destinatur vegetationi. — Potus enim spirituosi mediate et sympathice in cerebrum agunt, turbasque hujus functionum causant: nimis facilius sistema cerebrale oenomaniam, melancholiam, moriam, amnesiam producunt; sensus stupefaciunt et vim imaginandi exaltant; hebescant hinc facultates mentales, judicium ac ratiocinum jacturam patiuntur, adparet species Cretinismi — sicque fractus homo ad dignitatem humanam se elevare impar, voluntate ac libertate orbatur. Haud injuste hinc Heraclitus ait: „ein Trunkenbold taumelt hin und her, und lässt sich einen unmündigen Knaben führen, und weiß nicht, wo er hingehört, weil er eine nasse Seele hat. Eine trockene Seele ist am weisesten und besten.“ Quantus sit methomaniae in animum ex parte morali consideratum influxus nocivus, nec ullum observatorem facile fugiet: pusillanimitas, demissio, meticulositas indissolubiles consuetim sunt morbi satellites; aegroti fiunt taciturni, diffidentes, subdoli ac peculiari nequitia praediti — cuicunque quod eorum arbitrio minus acceptum videtur, peculiari studio renituntur; in qualibet re bruti observantur, —

imo non raro brutis postponendos non haesitabis. — Plures sinceri sunt, nihilque coelant, alii obstinati; modo exhilarantur modo tristes fiunt, et incontenti; nunc pacifici conspiciuntur, nunc contentiones semper movent, nunc ira ac indignatione exardescunt. — Quo diutius tales affectus durant, quo frequentius redeunt, eo magis permanentem animo relinquunt impressionem, quae serius ocyusve habituibus animi affectibus transam praebent. Sensim sensimque homo a justo moralitatis tramite detorquetur, oboritur indifferencia erga quaecunque, ultimo ipsa misantropia ac non infrequenter autochiria. —

Quatenus vero vita psychica a vegetativa dependet, eatenus status vitae altioris a norma recedens in vitam somaticam redundat, hujusque anomalies varias, functionum perturbationes inducit; hinc vis vitalis organorum imminuta ac peculiari modo alienata, nervorum stupor, idiosyncrasiae diversae, inertia ac debilitas vitae irritabilis; unde congestiones versus organa centralia, stagnationes in systemate venae portarum, se- et excretionum imminutio, organorum digerentium labefactatio etc. in conspectum veniunt; praeterea sensuum torpor, hallucinationes diversae, ac peculiares aberrationes sensus communis animadvertuntur. — Exinde quoque diversissimi scaturiunt pro diversitate constitutionis ac dispositionis morbi: jam frequens potatorum morbus est cataracta in variis suis formis; praeter hanc, ophtalmias diversissimas, aliaque vitia, uti chalazion, perpetuum lacrymarum stillicidium etc. haud infrequenter in bibone offendes; functio ipsa oculi ob statum sensus subparalyticum hebescit, ideo amaurosis, visus hallucinationes; etiam obauditio. — Ex infracta vi vasorum absorbentium consuetissime enascuntur, praecipue in bene pastis, hydro- pes varii, uti ascites, hydrothorax, oedema, pe-

dum etc. qui morbi formam externam, quod attinet, confinibus utcunque aemulantur; ast in quantum hydrops potatorum a consueto abhorret! Non raro polypyrosis exoritur, et spongiosus habitus, bibonibus per eminentiam proprius. Alias inde asthma potatorum originem dicit, quod iterum duplex est: altera enim species cum simultanea affectione cordis, ventriculi ac hepatis in nexu est — altera hydrothoracem aut hydropem universalem concomitatur. — Sat frequenter tensio praecordiorum, cardiopalmus, irregularitas systematis arteriosi, pulsatio in singulis partibus — quae omnia, vitia organica, praeprimis aneurismata cordis ac vasorum majorum suspicari sinunt. — Adparet quoque post diuturnum vini abusum turma plane nevrosium, cui adnumeramus: prosopalgiam, brygmum, oneirodyniam, cardialgiam, specie inflammationis chthoniae ac indurationis inducendam; spectant huc enteralgia saburralis, tremor potatorum, spasmī, crampus *) hypochondriasis, epilepsia, catalepsis, eclampsia gravidarum et parturientium etc. Nonnunquam oboriuntur periculosissimi morbi: phrenitis, carditis, pneumonitis, gastritis, enteritis, inflammations et exulcerationes hepatis, ac lienis, alias physconiae diversae, obstructiones mesenterii, induratio scirrhosa, pylori, praeprimis, vel ejus cancer; paralytica adfectio ventriculi; multifaria digestionis vitia: abnormis bilis secretio, et nati, inde icterus, calculi fellei, molimina haemorrhoidalia vel ipsi haemorrhoidum tumores; dispepsia, chronica diarrhoea exuberante bile — modo alvi morositas ex bilis defectu; lienteria, nonnunquam ipsa haematemesis, haematuria, sub qua sanguis putridae, discrasiae

*) La Crampé, eine Art Starrkrampf, eine gefährliche Krankheit in Indien, öfters Folge von Uebermaß geistiger Getränke.

manifesta offert signa; saepe podagra, dolores artuum lacerantes; eruptiones cutaneae, gutta rosacea, erysipelas, excrescentiae verruciformes coloris cuprei (species morbi maculosi Werlhöfii), zoster, ulcera inveterata; acrimoniae in corpore accumulatae; turgor venarum, cyanosis, sanguinis venositas et resolutio; ad imum prosternitur actio vitalis, febris aboritur putrida; emaciatio universalis, canities et praematura senectus, capillorum defluvium, phthises, tabes, febris hectica, frigus et siccitas extremitatum, paralyses partiales, vertigo, coma, delirium, tandem apoplexia et mors.

— Exactissime et paucis verbis Plinius jam depinxit deleterios vinolentiae effectus: „*hinc pallor et genae pendulae, oculorum hulcera, tremula manus, effundentes plena vasa, et (quae sit poena praesens) furiales somni et inquier nocturnia, praemiumque summum ebrietatis libido portentosa ao juvundum nefas. Postera die ex ore halitus cadi, ac fere rerum omnium oblivio, morsque memoriae; rapere se ita vitam praedican. illi vero et venientem.*“ —

Hi sunt consueti potatorum exitus; — sed memoratu adhuc dignae sunt turbae in functionibus sexualibus obviae, ac prae ceteris feminineum organismum infestantes: huc hysterias, huc frequens abortus, anomaliae menstruorum, amenorrhœa etc. referendae sunt. Jam vero nocivus spirituosorum in fertilitatem influxus neminem gnarum facile fugiet; historicis enim edocti scimus, quod in Belgia ac Hollandia viri excessivo spirituosorum usu, imprimis cremati; impotentiam contrahant, semi-næ steriles evadant; experientia quotidiana huic minime obversatur. Praeterea observatio in Dania, Suecia et Rossia facta est, quod notabile fertilitatis decrementum ex eo tempore, quo deleterius spirituosorum abusus ibidem invaluit, conspicuum

evaderit *). Denique futura generatio, quantum inde capit detrimentum! Quae a parentibus in posteros jure quasi haereditario transplantari videmus mala postuma, certe haud exigua sunt, ita ut proles, qui vitam parentibus debent, vitio huic deditis, poenam genitorum utplurimum luant — est interim communis opinio, quod hicce morbus patrem infestans minoris sit sequelae, quam si is matrem detinet. — Tales vero infantes utplurimum exigui sunt corporis atque mutili, pallidi, debiles, macilenti, multifariis tentantur aegritudinibus: humorum inquinalorum corruptione, acidis primarum viarum, ructibus, nausea, vomitu, fluxu diarrhoico, hinc inde atrophia laborant; — praematura pubertate mox ad illecebras et Veneris oblectamenta impelluntur, unde corpus magis adhuc pessum datur; — consuetim praeterea mente stupidi, malitiosi ac pertinaces conspiciuntur.

Superest tandem damna adducere, quae non uni homini, verum integris populis inferre solet abusus spirituorum; e contra in quantum abstinentia proficia semper visa est. Ex relatis diversis ad rem spectantibus ad amussim innotescit, Sarmatas Crimaeae incolas, quibus usus spirituorum ex lege religionis interdictus est, pancratice semper vigere, et sarta tectaque frui vita, quam et ad canam usque aetatem, incolumem servare scimus; item de Graecorum, provincias Rossiae incolentium, lauta constitutione dictum esto. E contra observatio docet, habitatores Rossiae septentrionalis statuae esse plus minus depressae, proprio faciei colore purpureo notatos — ipsamve mortalitatis frequentiam ibidem augmentum cepisse constat. In nonnullis saltem Rossiae provinciis homines perplures inter annum aetatis 15—55. e medio tolluntur, quae mortalitas naturae legibus

^{a)} I. Ph. Bauer. Der Mensch in Bezug auf sein Geschlecht.

obversa absque dubio spirituosorum abusui est adscribenda.

Ex hucusque dictis facile negotio desumus potest, in quantum bibo ad abbreviandum vitae curriculum ipse plurimum confert; haecce pgaematura mors mox directo, mox indirecto modo inducta, trifariam rationem agnoscit:

1. Vel enim immediate cum spiritus abusu aeger necem simul haurit — potulentum hoc in casu atrocis veneni ad instar vitae flammarum uno quasi ictu extinguit mors quidem rarissima
2. Vel frequenti spirituosorum usu organorum functiones sensim a normali tramite detorquentur, adeo, ut postmodum in distinctas morborum formas degenerent, quae eo majora pericula minantur, quo magis turbato, potius sublato virium vitalium aequilibrio inituntur.
3. Vel tandem functiones organicae, usu immoderato spirituosorum morbose factae, ad morborum aliis causis excitatorum crism perficiendam impares redduntur — unde fit, ut tales morbi, quamvis levidenses sint, non infrequenter vitae ipsi interitum parent. Hoc valet de febribus, refrigerio fors exortis, quae infasto omni characterem putridum induunt. Taliis morborum anomalus decursus imprimis grassante quadam epidemia observari licet, cuius sub dominio strenui bibones in graviora praecipitantur vitae pericula, quam id character epidemiae determinat. — Quum per abusum spirituosorum energia vitalis passim infracta est, et sanguis plasticitate sua exuatur — hinc fit, ut laesiones fortuitae partium organicarum, uti vulnerationes, contusiones in gangrenam facile abripiantur; furunculi passim exorti item gangraenescunt, vel in anthraces degenerant, struuntque organismos summas

agiti fessilias, non nisi morte praematura terminandas. —

Mors consueta potatorum est apoplexia, ex phrenitide oriunda; — quodsi tamēn aegroti sub faustissimis circumstantiis nonnunquam Orci faucibus eripiantur utcunque mentis alienatio remanere solet. — Combustio spontanea est altera mortis species, quam tamēn rariū subire solent miseri, quaeve inde explicatur, quod magna hydrogenii quantitas per Alcoholis abusum in sanguine generetur, mihiā ansa data, ad comburendum corpus idonea. — In studio tertio morbi, sub quo vires, accedētibus jugiter novis irritamentis, magis magisque exhaustuntur — dērepente non raro bibonēm asphyxia correptum observamus, sub qua ex improviso sensus omnes ac motus voluntarii penitus silent (Necatio hypercinetica.)

N e c r o t o m i a.

Cadavera hominum, hostili morbi hujusce vicedentium, manifesta in centro systematis nervosi ac sanguiferi offerunt destructionis ac structurae alienationis vestigia, uti hoc ex indefessis autopsiis celeb. Morgagni palam redditur: Adhaesiones durae meningis ad ossa calvariae; meningum ossea incrassatio vel nimia flacciditas — haud raro perforationes adsunt; in choroidibus hydatides; piā meningem vasa sanguifera turgida, varicosa, alias rupta perreptant. In sinibus et venis cerebri sanguis nigerrimus semiconcretus, vel polyposae concretiones albidae firmae obyenint. Substantia cerebri, cerebelli et nervorum praeter morem mollis est — alias coagula lymphae plasticae in oculos incurront; in haemisphaeriis saepe cava in omnem dimensionem ampla et fusco glutine seu muco semisiccato farcta efformantur. — In thorace aquae sanguinolentae copia non raro offenditur; pulmones graviores sunt et duri, substantia eorum

magis compacta — non pulmonaris, sed hepatica
similior. — Cor flaccidum; ut plurimum in ejus ven-
triculis sanguis crassus, semiconcretus reperitur;
aggeres, uti apellat Valsalva valvularum semili-
narium duritie cartilagineam; valvulae arteriae
aortae perdurae sunt ossificationi proximae, imo
osseas offerunt concretiones. — Hepar pluribus lo-
cis abnormiter diaphragmati adnectitur; splen ipse
sanguine plenus conspicitur, arteria splenica ossea
non raro duritie distincta.

Ratio medendi.

Cognitio justa causarum, quae primitus in-
 stinctum in spirituosa movebat, sive in variis
 vitae conditionibus, sive in predispositione ae-
 grotantis sint positae, medelam dirigere oportet.
 Anima et corpus sunt stirpis ejusdem frondes —
 causae morbi duplicitis generis merito statuuntur:
 prodeentes vel ex corpore vel ex anima, adeoque phy-
 sicae et psychicae — ideo ad debellandum hostem,
 tam uni, quam alteri opponenda erunt arma. Non
 displicuit eapropter omnem medelam in somaticam
 ac psychicam dispescere — adjungere diaetetica ac
 prophylaxin, et singula seorsim exponere.

Cura somatica.

Haec ut perfecta sit, et tanto certius exopta-
 tos ferat fructus, eo dirigi debet, ut morbus ex
 integro eradicetur; secus enim recidivae metus re-
 manet, quo nullo pacto auferendo, postmodum per-
 tinaciter malum omni conatui resistit. — Conside-
 rantes fontem morbi unanimiter contendunt me-
 dici, abstinentiam a spirituosis firmissimum lar-
 giri fulcrum curae suscipiendae; ast de modo ab-
 stinendi multum iterum discrepant. Celeb. Spren-
 gel, ut bibo a malo liberetur, successivam immi-
 nutionem dosium potulenti, nec non gradarium
 transitum ab acribus ad mitiora, necessarium au-

tum. Medici complures, eo innixi, quod a consuetudine quacunque harmonicus omnium functionum in oeconomia animali concentus dependeat — eandem cum Brühl-Cramer fovent sententiam: repentinam consueti stimuli detractionem plus nocere *) quam proficuum esse — ideo non nisi paulatim ab usu vini abstinentia suadent. His vero contrarium proponit cel. Trotter, qui adeo deleteriam stimuli continuationem merito timens, nonnisi in plenaria ac subitanea abstinentia a vino sanationis spem collocat.

Non obstante tamen horum discrepantia omni studio eo adnitamus oportet, ut cum eradicata dispositione ipsum simul morbum auferamus. Quodsi agendi rationem Alcoholis in corpus humanum paucum accuratius examinamus, videbimus, quod primus vim suam excitantem in ventriculum exserat, unde super systema nervorum universi corporis non uti Flourens credit, super cerebellum solummodo diffunditur. Imo ipsum sanguinem in minimis suis moleculis Alcoholi impraeagnari, ac similem experiri excitationem, experimenta a cel. Magendi in animalibus instituta ad amissim probant (Meissners Encyclopaedie). Veritas rei inde etiam explicatur, quod gas inflammabile per pulmones eructetur, et halitus ipse ebriosi redoleat spirituosa. — Sed et chimicam mutationem subit sanguis Alcoholi enim desoxydatur pro parte sanguis arteriosus: unde ejus color laetus in obscurum vertitur, venosoque non absimilis redditur. Sanguis hac ratione particulis phlogisticis onustus, majoremque vim irritativam adeptus, torrente flu-

*) Visum enim est, per subitaneam hujus stimuli detractionem, morbos nervosos, febrim lentam et mortem inductam fuisse. Plebeja opinio Rossiae: post cessantem methomaniam insequi mortem, huic innixa est fundamento.

xu urgetur versus encephalon, vasa implet expanditque, exaltat pro tempore vires — progignit itaque, ut in verba jurarem acutissimi nostri Prof. Fr. ab Hildenbrand hyperstheniam spuriam systematis sanguiferi seu debilitatem veram cum fallaci vitae robore (Scheinbar erhöhte Lebensschwingungen); — sanguine vero qualitative mutato, mutatur quoque bilis qualitas — inde iterum morbi hepatis diversissimi et sanguinis major in resolutionem nisus.

Hisce rite consideratis minime haesitamus memoratae angiopathiae erethisticae talia remedia opponere, quae compescendo expansibilitatem, vim contractivam intendunt, talique pacto oxygenium in sanguine praedominare faciunt. Obveniunt sub nomine sedantium — huc spectant: substantiae oxygenio divites, uti frigus, aqua putealis mera, omnia acida, imprimis vegetabilia, acidum acetum, tartricum, succus citri, acidum nitricum, acidum sulfuricum dilutum elixir. acid. Halleri etc. — Ex his praeplicuit medicis acidum sulfuricum in connubio cum remedii amaricantibus ac leniter aromaticis ad dr. semis pro dosi, ter quartus de die exhibendum. Alii preferunt elix. acid. Halleri gutt. 10 — 15 aqua exceptas, saepiusve de propinandas die, laudantque praeterea pilulas ex extractis amaris confectas. Quodsi hacce methodo inepti cupido notabiliter immittatur vel penitus sileat — sepositis acidis ad reliquas indicationes explendas transgrediendum erit.

Praecipua urgent mala in digestionis organi dolores et angores diversi, qui absque induciis solent perdurare ac in complicatione hypochondrica ad summos non raro intendi cruciatus; denique motus intestinalium tumultuarii, cardialgia, colica, flatus, borborygmi, nonnisi acidis, in primis viis generatis debentur — haec itaque acida obtundere studeamus. Inserviunt huic scopo Alcalia, solutio-

Sodae, Carbonas Magnesiae, Magnesia usta, Carbonatis Lixivae & scrp — ad dx. semis in aquae unc. tribus solutae. Cum adductis remediis absorbentibus connubium ineant substantiae amarae, uti radix Gentianae, Colombo, Quassia, Chamomilla etc. — Cardialgiae, colicae aliisve spasticis affectionibus, fors sub debilitate ventriculi praesentibus opponitur Opium, Ammonia pura liquida, Aether sulf., cujus tamen usus ob Alcohol, quod continet, quodque ipsum instinctum morbosum excitare valet, nonnisi arctissimis limitibus circumscribendus est. Vires digestrices saepe per spirituosa labefactantur adeo, ut acidorum usum diarrhoea excipiat; stante hac, usus acidorum pro tempore suspendi ac antea organa reborari debent; optime huc quadrat infusum vel infuso-decoctum Corticis peruviani cum leniter aromaticis, quibus cum emolumento adhibitis, ad acida redeamus. — Sub alvi constipatione, excretiones vel purgantibus mitioribus vel nullis adhibitis pharmacis, sola exquisita et accomodata diaeta promovendae sunt; cane et angue pejus yitanda sunt remedia purgantia fortiora.

Quodsi hepar affectum est, ad tollendum statum abnormem hujus visceris item acida optime conveniunt; utpote quae statui atrabiliario, nec non stasibus in systemate venae portarum cum successu opponi possunt. In eo casu, ubi cum minori humorum discrasia status subinflammatorius hepatis adest, cum majori emolumento acidum nitricum usurpatur eadem dosi, ac acidum sulfuricum; alias si nitus in resolutionem praevaleat, praefertur hoc. Accidente ictero, quin spasmodicae sit originis, "emeticum aliquod in usum vocamus, v. c. Tartarus stibiatus, initio refracta dosi, postmodum dosi plena propinatus in hoc casu eximios prodit effectus. Quin imo in casibus, ubi sub criticis evacuationibus nihil de materia biliosa vomitu ejiciebatur, emesin cieri consultum est.

Peculiari attentione digni sunt, impeditus humorum per vasa abdominalia progressus, et nati inde infaretus ac obstructiones viscerum abdominalium, quorum evolutioni infracta vitae irritabilis vis, nec non ipsorum prava humorum crasis imprimis favent. Sub tali rerum positione ad resolvendas hasce stases animum convertere debemus; hunc vero scopum usu solventium optime adsequimur, et inter haec palmam adjudicamus Sennae, cuius infusum cum Sale quodam medio, uti Sale mirab. Glauberi parvis ac saepe repetitis dosibus cum fructu optimo adhibitum fuit. — In induratione scirrhosa hepatis Bontius in India orientali cum successu semper in usum traxit Mercurialia; quorum tamen usus medicis recentioribus minus acceptus videtur. — Laudant potius exquisitissimam diaetam, victum facile digerendum, simul ac talia medicamenta, quae viribus digestricibus novum vigorem addere, atque amissas vires restituere valent. Acida itaque rursus sunt in usum trahenda in connubio cum Roborantibus amaris, nervintonicis, hinc inde cum Cortice peruviano, in quorum usu per aliquod temporis spatium insistendum est. — Etiam hic vim medicatricem naturae saepe admirandi occasio non deest; proprio enim Marte non raro morbos hepatis ac ventriculi, ex abuso vini obortos, nonnisi abstinentia sola valet sanare. —

Infracta vero notabiliter vi vitali, aut si adeptentia spirituorum, uti in strenuis bibonibus fieri solet, in necessitatem, haudque abigendam abiverit consuetudinem, ita ut repentina forte detractio stimuli insidias struere posset — tum simul cum acidis connubium ineat usus Stimulantium volatilium. Praestantes effectus exspectare possumus a Castoreo, vel in forma pulveris vel solutio-
nis cum Aethere sulfurico; subinde eximius se praestitit usus Arnieae, cuius infusum cum oleo aethe-
reo cort. Citri, imprimis in morbi altiori gradu
non infrequenter opem tulit. Externe quoque lau-

dant acida vegetabilia, praecipue acetum cuti applicandum. —

Quodsi morbus altiorem attigerat gradum, omnesque functiones organicae erant laesae, tum etiam his remediis solertissime adhibitis, semper adhuc cura radicalis manebit in votis; remanet quippe perpetuus ac fere invincibilis torpor functionum organicarum, in systemate nervoso quam maxime conspicuus. Status talis ad sollicitandam vitam inertem stimulantium usum dictat — cum eorum tamen adapplicatione caute nonnisi mercandum esse partim ex origine morbi rite perpensa, partim ex secundario stimulantium effectu sponte fluit. Guajacum principatum hic tenet; cuius usum faciunt medici sub forma decocti cum acido sulf. omni altera vel tertia hora propinando et intercalatim s. d. stomachica commendando. — Tandem in coronidem curae Martialis adhibentur, non qua remedia roborantia, sed ob peculiarem virtutem, qua ferrum in extinguendum ipsum instinctum confert. Experientia plura exempla offert bibonum juniorum, qui solo usu ferri ejusque parvis dosibus successive porrectis ex morbo consanuerunt. In quem finem adhibetur Limatura Martis aut Aethiops martialis cum saccharo in formam pulveris redactus, bis de die a gr. tribus ad octo; item aquae et balnea ferrata magnae esse solent efficaciae. —

Diae et etiaca.

Modo exposita medela etiamsi optime instituta parum proderit, nisi quoque debito regimine diaetico suffulcita fuerit. Exquisitissima vero requiritur diaeta: hinc victus nullo aromate imbatus, juscula bona, cibus euceptus; pro potu aqua mera. Cibi depromantur pro maxima parte ex regno animali, utpote qui melius nutriunt ac enerbatis viribus novum veluti vigorem addunt; absit vero lactis ac ovorum usus, ob coagulationem,

quam ab adhibitis simul acidis facile experuntur; ex eadem causa excludantur ex ciborum penumnia sale nimis condita, deponendo enim agent in acida. Multum vero ab hoc abest sententia Cullenii, qui ventriculo debilitato cibos fumo induratos ac multo sale conditos opponere suadet— dicendo, in tali dispepsia salem culinarem optimum esse remedium.— Quamdiu vires digestrices infractae nondum ad normalem statum reductae sunt, consultum est, ut aeger post singulam coenam infuso ligni Quassiae utatur, aut flavedine condita corticum Aurantiorum interdum vescatur. Incipiente modo morbo, aut primis paroxysmis adparentibus congrua solum diaeta haud infre- quenter cunctis respondet votis: succi fructuum acidulorum, uti Berberidis, Oxycocci, Ribesii, Citri etc. cum saccharo in syrapi spissitudinem in- cocti, et aqua ad debitum saporem suspensi potum aequae gratum ac salutarem praehent, tepidule, nunquam frigide, saepiusve concedendum. Vi- chtus esto huic fini accommodatus: scilicet acidulus: laudant itaque Brassicam conditam aliaque similia. — Balnea frigida, motus corporis in aëre libero, ad regimen necessarium utique spectant. —

Morbus quadantenus fractus minime est era- dicatus — nec metum recidivae excludit; causis enim morbum primitus excitantibus forsitan dati, nefastam cupidinem iterum provocari per se liquet; quin imo nec tantas exigit causas occasio- nales, nec adeo diu perseverantes, quam id ante pri- migenam evolutionem fieri consuevit — qua- propter propria ex parte aegrotantis expostulatur cooperatio h. e. voluntas — sine qua frustra ten- tabuntur omnia: voluntas aegroti fulcrum quasi sistere debet therapiae — deficiente enim illa de- ficit et haec! nec aegrotus curae adhibendae ob- temperabit, nec medicus suum, quem molitur si- nem, unquam assequetur. — Inde etiam explica-

tur, cur non omnis methomania aequali ratione sanationem admittat; dantur enim casus, in quibus morbus aut est insanabilis, uti in bibonibus provectionis aetatis — aut vero, etiamsi adsit possiblitas, idcirco aliae circumstantiae sanationi refragantur. Hoc praeprimis de hominibus valet, qui jam a longo tempore cremato sunt abusi, ac instinctu morboso nunc ad continuandos excessus impelluntur. Talibus veteranis Bacchi cultoribus usum spirituorum nequaquam penitus interdicere debemus; nam harmonia superstes functionum organicarum nonnisi stimulo hocce externo adhuc sustentatur. Nihilo tamen minus nisum immoderatum restringere saltem studeamus; quod iterum usu acidorum attingimus, utpote quae fibram strictam solvunt, et discrasiae septicae, cui obnoxii evadunt bibones, obicem ponunt. Generatim vero medici multum interesse debet, ut cum morbo simul dispositionem in morbum tollat; ideo usus dictorum remediorum eo magis protrahendus est, quo magis istud malum habituale evasit.

C u r a p s y c h i c a .

Consuetudo violentiae ipsa non tam corpori, quam animo potius debetur; ventriculus humanus ob structurae subtilitatem non facile adsuevit Alcoli — hoc morbi probant inde oriundi — resistit viscus hoc tam diu, donec digestionis munere devicto, ventriculus morbo cuidam tradatur. Ergo animus proprie consuetudinem illam ponit, excollit, sustentat — saepe enim exhilaratur adhucdum animus, quum interea corpus jamjam poenam divisorum morborum luat. — Sequitur inde ad expellendum illum hostem ita disponi debere animum aegrotantis, qui ipse met a morbo liberari lumbenter desideret; dantur enim homines, quamvis pauci, qui turpi illa consuetudine ita sunt detenti, aut huic vitio adeo immersi, ut omnem respuant

medelam; pertinaciter adhaerentes malo — nisi fors sensationes molestissimae: ac multifarii cruciatus, qui morbum ejusque satellites ut plurimum excipiunt, miseros ad quaerenda auxilia impellunt. Tales aegroti quasi vi adigendi sunt, ut debitam curam subeant; — per se tamen liquet, id de hominibus insanis vix exspectandum, et nonnisi illo in casu tentandum fore, in quo aegrotus ratione adhuc praeditus voluntatem obtemperandi superstitem habet.

Ante omnia aeger omnem fiduciam in medico collocare debet; medici vero e contra multum intersit, quantocytus eruere inclinationes aegroti, ejus vivendi rationem, res domesticas, nec non animi motus quibus fors agitatur — uno verbo ejus character moralis medico palam fiat est necesse. Medicus praeterea superpondium quasi sibi stuleat conciliare; data occasione turbas diversas et tristissimas sequelas ex hocce vitio scaturiendas ante oculos ponere — hinc inde adducendo illos, queis malum hocce interitum paravit. — Solus aspectus vino madentis magnum influxum in homine simili malo adfecto solet habere. *) Spectant hoc strenuae admonitiones et excitatae aliae sensations ingratae, uti praeprimis poenitentia, quam etiam miseri omni ferme humanitate exuti absunto paroxysmo agere consuescunt; hanc studio sustinere conemur, ceu momentum validum, desiderium recuperandae salutis excitans. — Hinc omni humanitate tractandi, nunquam tales aegroti sunt objurgandi, aut ad iram, in quam alioquin sunt maxime proni, inflammanti, — ne salutifer ille animi affectus poenitentiae hisce quasi obruatur. Excitati animi affectus peculiares, uti amor sincerus erga natos, pudicitia, aestus honorum, cupido

*) Apud Lacones mos erat, natos suos aspectu inebriatorum a vitio illo turpi deterrendi. —

famae haud parum contulerunt ad frangendas cupidinis vinculas, quibus aeger tenetur. Generatim animi motus vehementes sunt evitandi; praestat animi alteratio, resuscitata humana dignitate, ambitione, excitato amore scientiarum artiumve. Porro multum valent fuga otii, occupatio corporis ac animi; distractio, musica, lectio librorum, commutatio vitae generis, rerum varietas, itinera suscepta, evitatio societatum etc etc.— hinc „*Mutatio loci, si ex doloribus cordis, vel adversis fortunae aut amoris malum increvit, plurimum proderit. Hunc castra et arma; hunc Musae omnes; hunc artes elegantes; hunc rus amoenum; illum venatio et variae exercitationes suariter occupabunt; hunc negotia magis seria non male detinebunt.* Et breviter cupiditas vini iisdem modis vincenda, distantia et absentia, quibus amator immitem dominam e pectore suo pellit.“ —

Quantus sit medicatricis naturae influxus ex eo quoque elucet, quod in nonnullis bibonibus per alias circumstantias forsitan exortae febres intermitentes aliquique morbi critice judicandi, si debite sunt tractati, ipsissimam non raro cupidinem valeant extinguere; minime vero hicce influxus ad secundarios methomaniacos morbos quoque solet extendi. —

P r o p h y l a c t i c a .

Tentaverunt sane multi medici multa ad cupidinem hanc summe insidiosam praecavendam, imminuendam, aut penitus extinguendam; ast persaepe irrita manserunt tentamina omnia, nam pertinacia aegrorum omnem utplurimum elisit medici conatum. — Sic proponunt nonnulli, potui coffeeae ut adsuefiat vinolentus — tali ratione post breve tempus a nocivo spiritu abstinebit; alii laudant usum fumi tabaci, alii vinum loco cremati suadent. Celeber. Hufeland vasculo, ex quo consuetim aegrotus haurit, instillari jubet quotidie aliquot guttulas cerae Hispanicae, ut hac ratione

mensura de die in diem imminuatur, et successi-
ve minores doses ingurgitet bibo — quam admini-
strationem eo usque continuandam esse putat, do-
nec assumenda portio ad minimum decreverit. —
Ecquis tamen insufficientiam hujus propositi non
illlico perspiciet? — Suadent porro alii pauxillum
acidi sulf. diluti admisceri potulentis, quibus sese
obruunt bibones; vix tamen effectus inde vide-
runt expectatos. — Non desunt iterum, qui ali-
quot granula Tart. stibiati potulento spirituoso ad-
denda qua necessarium habent, ut excitata nausea
ab ulteriori usu deterreant bibones (methodus me-
tasyncritica). Unzer dicit, talibus substantiis
impraeagnari debere potulentum, quas nauseat sum-
mopere potator, hujusque parvis nonnisi haustibus,
eo praecipue tempore, quo madet spirituosis, con-
cedendum fore; tali ratione credit, hominem post-
modum a vino abhorrescere.

Quodsi quaedam cura prophylactica admittatur, haec certe periodico nonnisi in morbo indi-
cata erit; et quidem ante ingressum novi paroxysmi, aut fors recidivante morbo, ex prodromo-
rum signis facile dignoscendo. — Tali sub rerum
conditione Castoreum cum acido sulf. debita dosi
ac justis intervallis propinatum novum insultum
fugari, et morbum sat saepe praecaveri notum
est; in hujus remedii usu vero longius quidquam
insistendum fore, communis est medicorum sen-
tentia. Singuli insultus morbi non raro justo lon-
gius durant — hinc ut abbrevientur, medicus in-
tendere debet; hoc tamen non ubique absque diffi-
cultate, praeprimis illis in casibus fit, ubi per ab-
normem systematum organicorum functionem, coo-
perante aegri pertinacia malum exasperari magis,
quam mitigari observamus. Suadent quidem et hoc
in casu, capiendo spiritui aliquot guttas acidi sulf.
instillare — ast vix unquam haec administratio ad
insultus abbreviandos contulit. — —

Theses defendenda.

I.

Non omnes hominis functiones psychicae ex eodem promanant principio.

II.

In prophylaxi nullum specificum.

III.

Mania a potu differt manifeste a delirio tremente.

IV.

Non semper contagium ex contagio.

V.

Datur quoque psychicum contagium.

VI.

Combustio spontanea solet consuetim bibaces, vix unquam bibones enecare.

VII.

Dantur crises etiam in morbis chronicis.

VIII.

Feminae magis, quam viri, varicibus sunt obnoxiae.

IX.

Congestio simplex toto coelo differt a vera phlogosi.

X.

Febris puerperalis phlebotomiae in extremitatibus inferioribus obstat.

XI.

Mutatur temperamentum per vitam.

XII.

In nullo morbo plus fortuna sibi vindicare,
quam ars; ars, quam natura potest.
(Celsus)